


✠)(✠)(✠

Die VIII. Februarii.

IN FESTO S. IOANNIS de MATHA CONFESSORIS.

Et Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris.

A Sacrorum Rituum Congreg: pro tota Italia concessum.

DVPLEX.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, vt in Breuiario Rom: præter Orationem & Lectiones ij. Noct. In Hymno. Iste Confessor, *dicitur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

Oratio.

DEVS, qui per S. Joannem de Matha Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos cælitus instituere dignatus es; præsta quæsumus, vt eius suffragantibus meritis à captivitate corporis, & animæ te adiuvante liberemur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, si venerit in Quadrages. Lectiones, Beatus vir. *de Comm: Confessoris non Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IOannes de Matha Ordinis SS Trinitatis Redemptionis Captivorum Institutor, Falcone in Prouincia natus est, Parentibus pietate, & nobilitate conspicuis. Studiorum causa Aquas Sextias, mox Parisios profectus, confectoque Theologiæ curriculo, Magisterii lauream adeptus, doctrinæ & virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes ad sacrum Presbyteratus ordinem præ humilitate reluctanté promovit,

movit, eo consilio. vt in ea Ciuitate commorans, sapientia & moribus studiosæ iuuentuti præluceret. Cùm autem in Sacello eiusdem Episcopi, ipso cum aliis adstāte, primum Deo sacrum offerret, cœlesti fauore meruit recreari. Nam Angelus candida & fulgenti veste indutus, cui in pectore Crux rubei cærulei coloris assuta erat, brachiis cancellatis, & super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum Maurū, extensis, apparuit. Qua visione in extasim raptus intellexit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus Captivos destinari.

Lectio V.

QVò verò maturius in re tāti momēti procederet, in solitudinē secessit, ibique diuino nutu factū est, ut Felicē Valesiū, in ipsa eremo iā multis annis degentem reperit, cum quo inita societate se per triennium in oratione, & contemplatione, omniumq; virtutū studio exercuit. Contigit autem, ut dū secū de rebus divinis propè fontē colloquerētur, ceruus ad eos accesserit Crucem inter cornua gerēs, rubei & cærulei coloris. Cūque Felix ob rei novitatem miraretur; narravit ei Ioannes visionem in prima Missa habita, & ex inde feruentiùs orationi incūbentes, ter in somnis admoniti Romam proficisci creverūt, vt à Summo Pontifice novi Ord: pro redimēdis Captiuis institutionē impetrarēt. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertiᵘˢ, qui illis benignè acceptis, dum secū de re proposita deliberat, in festo S. Agnetis secundo, Laterani intra Missarū solemnia ad Sacræ Hostiæ elevationē. Angelus ei candida veste, cruce bicolori, specie redimentis Captivos apparuit. Quo viso Pōtifex Institutum approbavit, & novum Ordinem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum vocari iussit, eiusque Professoribus albas vestes cum Cruce rubei & cærulei coloris præbuit.

Lectio VI.

SIc stabilito Ordine Sancti Fundatores in Galliam redierunt; primoque Cœnobio Cervi Frigidi in Diœcesi Meldensi constructo, ad eius regimen Felix remansit, & Ioannes Romam cum aliquot sociis reversus est, ubi Innocentius Domum, Ecclesiam, & Hospitale Sancti Thomæ de Formis in Mōte Cælio eis donavit, cum multis redditibus & possessionibus. Datis quoque litteris ad Miramamolinum Regem Marrochii opus redemptionis felici auspicio inchoatum fuit.

Tum

Tum ad Hispanias, sub iugo Saracenorum magna ex parte oppressas, Joannes profectus est, Regumque, Principum, aliorumque fidelium animos ad Captivorum, & Pauperum commiserationem commovit, Monasteria ædificavit, Hospitalia erexit, magnoque lucro animarum plures Captiuos redemit. Romam tandem reversus, sanctisque operibus incumbens assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentissimo Dei, & proximi amore exestuans, ad extremum deuenit. Quare fratribus convocatis, eisque ad opus redemptionis ex alitud præmonstratum efficaciter cohortatis, obdormivit in Domino sextodecimo Kalendas Ianuarii, Anno salutis millesimo ducentesimo decimotertio, eiusque corpus in Ecclesiâ Sancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.

In tertio Nocturno.

Homilia S. *Gregorii Papa in Euangelium*, Sint lumbi vestri &c. *Et in Communi Confessoris non Pontificis.*




J